

*De conversione spiritus in corpus & corporis  
in spiritum.*

C A P. IIII.

**S**piritus iste vertatur in corpus, & hoc corpus in spiritum, & iterum spiritus iste fiat corpus, & tunc facta est amicitia, inter frigiditatem & humiditatem, caliditatem & siccitatem. ~~Sed virtute Dei fieri potest cum molli temperamento, & moderativo termino ignis.~~ Et huius longitudinis duorum & unum, à tribus duo intelliguntur, à duobus verò tria non intelliguntur. Et hæc sunt verba pretiosa, occulta & aperta, data non pravis, non impiis, non infidelibus, sed fidelibus & pauperibus à primo homine usque ad ultimum.

*De Planetarum & eorum imagine, operibus in Mercurio existentibus.*

C A P. V.

**D**ico ergo, quod in Mercurio sunt opera Planetarum, & eorum imaginationes in suis locis, sicut in foetu suis partibus & temporibus operantur. Nam in foetu primo mense cum semen à matrice acceptum est, Saturnus operatur congelando, & constringendo sua frigiditate & siccitate ipsam materiam in unam massam. Secundo mense operatur Jupiter sua caliditate, digerendo in quandam massam carneam, quæ embrio vocatur. Tertio mense operatur Mars, agens in materiam, & sua caliditate & siccitate dividit & sequestrat illam massam, & membra disponit. Quarto mense Sol, ut Dominus, immittit Spiritum, & sic incipit vivere. Quinto mense operatur Mercurius, qui foramina & spiracula facit. Sexto mense Venus disponit & ordinat supercilia & oculos, testiculos, & similia. Septimo mense Luna sua frigiditate & humiditate laborat ad expellendum foetum: & si tunc nasceretur, vivere posset. Si verò non nascitur, tunc debilitatur. Et iterum Saturnus octavo mense sua frigiditate & siccitate incipit operari, tunc constringendo ipsius foetus acceptionem in matrice, & si tunc nasceretur, vivere non posset. Nono mense Jupiter iterum operatur, & sua caliditate & humiditate iterum nutriendo